8. Habes exemplaria Thesium mearum, Reu.de Pater; quae uti jam inde ab initio, ita nunc maxime Tuae sunt, ex quo videlicet nominis tui characterem in fronte gestant. Itaq non est quod hic sesquipedalium verborum ambages congeram; Tibi quod debeo, imo Tuum Tibi D. D. D. facessant tralatitia ista; quorum te non magis avidum lectorem quam me scriptorem esse jampridem persuasum habeo. Avunculum Zuerium, quem dedicationis istius participem faciendum ex officio duxi, absq Antverpiam profectus esset literulâ eminus conveniendum statueram, et quidem verbis, si dys visum, ~~[illegible]~~ aliquanto solennioribus: Etenim ita ferre praesentis saeculi mores videntur, ut ratione deficientis familiaritatis verborum fucus accrescere debeat. Nunc oblati itineris excusationem libens accipio: De praesentia istius viri, quâ cariturus die Disputationis videor, serio doleo. Te, Colende Pater, avidè expecto, et valere cupio. Festinanter Leidae. Non. Quintil.

cIↃ IↃC XVII.

Filius Tui observantissimus
Constantinus H.

Patri Colendmo.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 44, nr. 20
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/30